



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 99. Jacobi Spifamii Nivernensis Episcopi, & postea Protestantis Historia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. Oporinos Typographos excudi curavit: **A.C. 1567.** insuper etiam quosdam sancti Gregorii Nazianzeni, & S. Justini Martyris Tractatus transtulit, diversaque composuit poemata.

Pariter hoc anno die decima octava Martii Franciscus Robertellus Uninensis annos quinquaginta, & unum natus extremam diem clausit, postquam Bononiæ, ac Patavii Theologiam tradiderat cum tanta nominis sui fama, ut existimationi de eo conceptæ plene satisfaceret: acres tamen similitates cum Carolo Sigonio habebat, ac semper in suis disputationibus nimiam animi vehementiam prodebat: nihilominus dextre sibi conciliabat favorem Germanorum, qui illum etiam post obitum amplis honoribus cumulabant.

§. XCIX.

Jacobi Spifamii Nivernensis Episcopi, & postea Protestantis Historia.

Spon. hist. de Geneve dern. edit. 1730. n. 2. l. 3. p. 112. Le Labour. addit aux mem. de Castell. t. 2. p. **P**riori adhuc anno Genevensis Senatus severitatis suæ specimen ediderat, dum Jacobum Paulum Spifamium extremo supplicio affecerat. Hic, cum adhuc juvenis esset, magni momenti negotiis tam in causis Ecclesiasticis, quam civilibus præpositus primo Parisiensis Curiaæ Senator, ac postea in In-

quisi-

quisitionum tribunali Præses, necnon ^{Sæcul. XVI.} libellorum supplicum Magister, ac de- ^{A. C. 1567.} nique secretioris Senatus Consiliarius nominabatur. Omnibus hisce muneribus auctus tantam ingenii aciem, atque eruditionis ubertatem præseferabat, ut sacræ militiæ adscriptus nullam percurreret dignitatem, quæ meritum famam, quam sibi comparaverat, superaret: igitur ex Canonico Parisiensi, atque Universitatis Cancellario apud Senones Abbas sancti Pauli, necnon generalis Lotharingii Cardinalis Rhemenfis Archiepiscopi Vicarius creabatur, qua dignitate insignitus ab Henrico II. Rege ad Nivernensem Episcopatum nominatus est, cujus Ecclesiæ possessionem Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo octavo accepit. Hæc munia obibat Spifamius usque ad annum Incarnationis Dominicæ millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum, quo Parisiensis Senatus de perversis hujus Viri moribus, ac perniciosis ejusdem doctrinis edoctus illum comprehendere jussit.

§. C.

Spifamius Genevam cum adultera profugus, eique incestis nuptiis junctus.

M 2

Præ-